


DEO OPTIMO, MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis, quartâ Aprilis, 1726.

M. NICOLAO LE TELLIER, Doctore Medico, Præside.

An cuique Gangrænæ solius Chirurgiæ auxilium?

I.



VITA ab eodem, à quo dependet, spiritu fovetur: ab illo omnis motus actionis & vitæ facultas defluunt. Sanguinis particulæ purissimæ, dulcissimæ ac volatiles spirituum officinam ingrediuntur; his spiritibus perfusus sanguis appellit ad partes, præsertim vitali charactere imbutus, qui balsamum nativum auditur. Partes ineptæ nutritioni excernuntur, ut cæteræ à putredine tueantur: vita enim nihil nisi conservatio à putredine est, ad quam tamen vi intrinsecæ constitutionis admodum inclinat. Nulla pars corruptioni magis obnoxia est, quàm sanguis; id testantur inflammationes majores, & inprimis Gangræna, & hanc presso sæpiùs pede subsequens spha-

celus sive mortificatio. Hæc imminens corruptio motu sanguinis tam progressivo sive circulari, quàm intestino sive vitali præcavetur. Diversorum humorum in diversis partibus stasi, eximia corruptionum innititur differentia. Si fluxus liquidi nervosi vel arteriosi præpediatur, si nervorum funes tubulique vasorum crispentur, rumpantur, contundantur, premantur, aliisque modis inepti reddantur, sanguis in minimis stagnat vasculis, spiritus deprimitur, sal fluorem concipit & acorem infert, dolor & calor præter naturam producuntur, ab illo sale irregulari, lancinante, fibræ nerveæ ac membranaceæ vellicantur, spasmodice contrahuntur, vasa capillaria coarctantur, & ab omni sanguinis refluxu impedito principia, soluto mixtionis vinculo, à se invicem secedunt. Ex majori inflammatione major fit corruptio, succedit Gangræna in partibus membranosis & carnosis, quæ in glandulis est cancer, in ossibus caries. Idem evenit, si per astringentia, emplastica, frigida repercutientia, stupefacientia intempestivè adhibita, vasorum diameter diametro columnæ sanguinis minor factus fuerit; si per obstructa, ut in herniis suffocatis, canales stringantur; si interna acria simul externis applicatis permixta fuerint. Accidit idem derivatione tenuioris partis ex sanguine per sudores, urinam, salivam, diarrhæas, ichores, & coagulantia, imò sæpè sæpiùs eò tendunt Paralysis, prohibita expiratio, aëris temperies in toto peccans, & locum affectum alluens, lympha diu fluens circa loca tendinosa, ichor cancri, fluxus dysentericus, hydropicus, humores Febris pestilentis, variolosi, scorbutici. Grandiorem inflammationem subinde Gangræna atque sphacelus consequantur. In priore pars mori incipit, tenditque ad innati caloris extinctionem; sed quamdiu cutis est duntaxat rubeus aut subpurpureus color, tamdiù corruptio est incipiens atque talis, ut ad integritatem pars affecta redire possit; quamprimùm autem ad nigredinem fibræ tendunt, sphacelus, Latinis sideratio, præ foribus adest, corruptio putredinosa fit in illa parte, repentino progressu in vicinas partes corporis vivi se se diffundens, dolore & pulsatione pereunte; spiritus partes affectas non ampliùs actitat, calor vitalis in iisdem planè disparet, & in frigus mutatur; color lividus, imò nigrescens in ipsâ parte læsâ, in ejusdem ambitu pallidus, & à floridâ vivâ temperie alienus observatur; incisionem scalpello factam minimè percipit æger, neque etiam è vulnusculis scalpello inflictis sanguis profluit, sed ichor tantùm cruentus, apparente in vulnusculis nigro sanguine. Turgescunt ut plurimùm vicina loca tumore pallido & frigido œdematoso, portio autem immediate affecta, præcipiti gressu ruens in fœtidam manifestissimamque putredinem, non solùm mollis, sed semiflua evadit, imò etiam omnino cadaverosum, olidissimum fœtorem putrilaginosum statim concipit; tandem hujus corruptionis progressus in partes ambientes celerrimus, omnia depascens in ossa usque, superiora petens, vigilias, deliria, syncopen, ructus, singultus, spasmos, dolores, sudorem frigidum, soporem accersens, mortem prænunciat. Signa Gangrænæ variant pro causæ diversitate. * Si à frigore contracta est, dolor vehementer pungens in parte affectâ sentitur; rubra hæc primò, mox pallida, tandem nigra evadit: calor naturalis sensim extinguitur, & oritur horror, similis illi qui in quartanâ Febre percipitur. Si à causâ externâ calidâ, aut pororum occlusione, rubedo in album, & deinde in nigrum mutatur, pulsatio & dolor cessant, sensus imminuitur, tandem pustulæ quædam apparent, ex quibus humor ichorosus profluit. Si ex alimenti defectu nec dolor, nec inflammatio, nec tumor adsunt, corpus friget, & morbus plerumque vel pedes, vel brachia occupat. Si à veneno animali aut humore, dolores, febresque continuò affligunt, syncopes adsunt frequentes & deliria; quandoque pustula hic oritur, sub quâ nigra est macula, quæ deinde per partem integram dispergitur. Si ex scorbuto, plerumque semper à pollice initium sumit, maculisve, atque lineis subnigris exteriùs manifestatur in crustam siccam mox degenerantibus, sequitur partis stupor, ac tandem mortificatio ipsa, sæpè sine ullo fœtore; dolor aliquando nullus adest, aliquando intensissimus, in illis inprimis qui se ab irâ & tristitiâ non satis temperant.

* *Jonstonus.*

II.



UAMVIS Gangrænæ tanta sit vis ac tyrannis, ut nisi celerrimè succurras facilè affecta pars mortis habitum repræsentet, promptissiméque vitæ sensûs & motûs extinctionem contrahat. " Attamen * si nondum planè tenet, sed adhuc incipit, " curare non difficillimum est, utique in corpore juvenili. Nec etiam si musculi " integri sunt, si nervi vel læsi non sunt, vel leviter affecti sunt, neque ullus magnus " articulus nudatus est, aut carnis in eo loco paululum est, ideóque non multum quod pu-

treſceret, fuit; conſiſtitque in uno loco vitium quod maximè in digito fieri poteſt. In ejuſmodi caſu primum eſt, ſi vires patiuntur, ſanguinem mittere, deinde quicquid aridum eſt, & intenſione quâdam, proximum quoque locum malè habet uſque ad ſanum corpus concidere; igitur inter ſanam vitiatamque partem incidenda ſcalpello caro, uſque ad os eſt ſic, ut neque contra ipſum articulum id fiat, & potiùs ex ſanâ parte aliquid excidatur quàm ex ægrâ relinquatur; ubi verò ad os ventum eſt, reducenda ab eo ſana caro, & circa os ſubſecanda eſt, ut eâ quoque parte aliquid oſſis nudetur: dein id ſerrulâ præcidendum eſt, quàm proximè carni etiam inhærenti: ac tum frons oſſis quam ſerrula exaſperavit lævanda eſt, ſupraque inducenda cutis, quæ ſub ejuſmodi curatione laxa eſſe debet, ut quàm maximè os undique tegat, quo cutis inducta non fuerit, id linamentis erit contegendum, cæteraque ſic facienda ut in vulneribus in quibus pus non moveri debet." Alii in carbunculis ſphacelatis meditullium tangunt ferro candente, & quidem tam diu donec patiens aduſtionem ſentiat, hac enim ratione ad ſuppurationem legitimam faciliùs diſponuntur; in reliquo ſphacelo ſcarificationem profundam in parte adhuc vivâ corruptæ viciná commendant. Poſt illas ſectiones vel inciſuras confugiendum ad remediorum genera quæ putrefactioni reſiſtunt, ut Gangrænæ occurratur, ac præſertim ſphacelo, aut totius partis interitui. Ejuſmodi ſunt ſales metallici & minerales ex cupro, præſertim ex ferro, mercurio, vitriolo: hi ſales quaſi balſami exterioris uſum habent, & calore, ac tenuitate ſuâ craſſos humores, qui nativum calorem ſuffocant, incidunt, tenueſque digerunt, & putredini ſalſitudine obſiſtunt. Tuetur plagas illas à Gangrænâ & mortificatione aqua vulneraria ſpiritui ſalis dulcificato, vel ſpiritui ſalis armoniaci admiſta. Pro affectûs magnitudine pars fovenda ſpiritu vini camphorato, ut ſanguis craſſior, & qui alioqui ibidem concreſceret, ſecedat. Quin etiam Butyrum Antimonii, Ægyptiacum, Unguentum Apoſtolorum, Balſama Arcæi, Fioravanti, Styracis, quòd putrefactionem prohibeant ac reſolvant, pro loci & temporis ratione admodum conveniunt. Nec deſperandum illicò, ſi eouſque rebellis Gangræna pervenerit, ut ſine certo vitæ periculo, neque membrum putreſcens relinqui, neque in ſincera parte ſectio fieri poſſit. Brachium prope articulum ſuperiorem, cujus muſculo Deltoidi Gangræna labem intulerat, opportunè rejectum fuiſſe, ac reſiduas ejuſdem muſculi carnes poſtmodum optimè ſanatas, docta prudenſque experientia teſtatur. Verticilli ſive torcularis uſus in amputatione ſideratæ partis ſingulari cautelâ adhibendus. Curandum inprimis, ne totum ſanæ partis ambitum æquali undique impulſu ſtringendo, ſerpenti Gangrænæ calcar addas. Pulvillos duriores ſolis arteriis, molliora linamenta partibus aliis circumjacentibus appone; atque ut vinculo quàm maxima preſſûs intervalla ſolerti manu fiant, inprimis eſto ſollicitus.

* *Celſus.*

III.



GANGRÆNA à cauſis internis tantò eſt curatu difficilior, quantò à cauſâ externâ in perfacili curatione, manuum & medicamentorum exteriorum opere verſatur Gangrænæ virus, idem ſonans ac corruptio, in maſsâ ſanguineâ jam ſuſcitatum, vel à contagio extrà ſuſcepto, vel à miaſmate quodam intùs in nobis genito, inter venena ſupremum locum occupat. A Febri malignâ, Variolis, Apoplexiâ, Paralyſi, ipſâque Peſte aliquando originem ducit, & ſæpè in plures graſſatur. Quaſdam Paralyſis, Lethargi & Hydropis ſpecies à malignitate ſphacelum referente natas eſſe non ignorare maximè intereſt. Venenum iſtud aut ſolvendo, aut coagulando pro diverſâ ſui indole varias corruptiones variè denominatas inducit, functioneſque ſubitò aut latenter ita deſtruit, ut vitæ periculum adducat. Illa quæ ſanguinem congelant, ejuſque mixtionem deſtruendo corrumpunt, perculoſiora longè ſunt, quàm quæ ſanguinem fundendo ejus ſerum nimis præcipitant, & ſpiritus ſenſim diſperdunt. In genere aqueæ, igneæ & ſulphureæ partes diſſolutionem corporum ſummè promovent. In morbis chronicis aqueæ ſalibus, præcipuè alkalinis evolutis, inſtructæ mixta quævis vinculo ſalino conſtantia penetrant; & in ſoluti compagem dominium exercendo partes ſalinæ nimis evectæ fluorem patiuntur. Hinc nova partium ſalinarum & aquearum connubia, à quibus Scorbutus, Hydrops, Nephritis, Lepra, morbi plerique chronici oriuntur, & demum Gangrænæ & Sphacelo exponitur æger, niſi tempeſtivè morborum affectiones ex naturæ legibus & mechanicis perſpicuè cognoſcantur & curentur. In morbis verò contagioſis acutis partes ſulphureæ in receſſu acidæ alias quaſvis ſulphureas & ſalſas celeriori curſu adoriuntur. Quò ſunt ſubtiliores

& evolutæ, eò celeriores ipſarum effectus; effluviis enim earumdem malignis per venas arterias & nervos diſperſis, ſpiritus animales inficiuntur, & contrarietate ac pugnantiâ quâdam ſuffocantur, unde vita hominis extinguitur. Hæc eadem venena tenuitate celerrimè expanduntur, quemadmodum ex viperarum, aliarumque venenatarum belluarum morſu licet animadvertere, qui Gangrænæ ſimiles producit tragœdias. Præceps illud venenum deleterium in propinquo certam denunciat perniciem, primò maſſæ ſanguineæ congelationem, mox ſpirituum fixationem putredinis ſcopum; ſpiritus à veneni contagio profligati, & aliundè non refecti diſſipantur. Sanguis in vaſis grumeſcit ut minùs promptè in iis circuitum abſolvat. Brevi à fluxu ſanguinis per capillaria denegato, ex magno motu ſanguinis ex corde & magnâ vaſorum cor versùs reſiſtentiâ ſummo incendio æger intùs, magis quàm extùs extorretur; lingua arida, craſſa & aſpera, ſubnigraque videtur. Spiritus difficillimè trahitur; pulſus modò celer, modò tardus, cum ventris diſtenſione; ſanguis in cute defixus & congeſtus lividam per totum corpus ſuffuſionem inducit. Modò parciùs diſperſus cruor ſtigmata tantùm purpurea efficit, quæ aliquando in puſtulas non abeunt, aliquando citiùs tardiùſve in puſtulas elevantur ac ſuppurantur, & natibus ut plurimùm ſigna Gangrænæ imprimunt. Quamprimùm ad nigredinem cutis vergit. Aut ſpontè balſamicis, aut arte à viciná ſeparanda eſt, ut ſervetur membrum affectum: tunc ſpiritus vitæ exquiſitis medicamentis aptis fovendus, ne ſanguis vaſa pneumonica minora difficulter trajiciens, phlegmonem cum tuſſi & ſputo cruento, imò lateris dolorem acutum pariat. Hæc inflammationis ſpecies ab imperitis Peripneumonia, vel Pleuritis credita, niſi præſidiis alexipharmacis tollatur, niſi fermentatio puttredinoſa ſiſtatur, in Gangrænam facilè tranſit.

IV.



UIVIS Gangrænæ Chirurgiam temerario auſu ſolus artifex applicat, ſecandi cupidus. Longè aliter judicat Medicus, naturæ myſteria doctus & artis ſuæ peritus. Hippocrates ſapienter: * Conare, inquit, ut Phyſicus evadas; tota enim medendi ſcientia, ſine rerum naturalium inveſtigatione, trunca & debilis eſt, nec ullius morbi explicationi, vel prudenti directioni curationis apta exiſtit. Eadem naturæ & artis Medicæ ſunt principia; uti artifex, qui materiæ naturam, & motûs leges ac rationes exactè callet, pro lubitu ſuo mutare, deſtruere ſcit corpora, pari modo Medicus iiſdem principiis inſtructus, immutando, reſolvendo, & alterando prodigia præſtare poterit. Quàm fauſtum Hippocratis ſæculum fuerit! Artis Medicæ cultores norint; in quo Chirurgia, hujus ſcientiæ antiquiſſima pars ab ipſis Medicis, & ipſorum manibus tractabatur. Cum hâc indignè agitur, quandò ad nudam empiriam, aut ad ſola inſtrumenta relegatur. Hæc, & Ars Medica unius excellentis ſyſtematis partes ſunt, quæ pulchrè inter ſe conſpirant, adeò ut neutra ſine alterâ ſubſiſtere poſſit. Conſilio, manuque. Sed judicium difficile, experientia fallax; niſi morbi affectus ex naturæ legibus mechanicis perſpicuè cognoſcantur & curentur. In curatione Gangrænæ, intùs ſuſceptæ, ut rectè procedatur, probè conſiderandum, quomodò ſe habeant humores, & partes ſolidæ ad varias actiones; cui corruptionis ſpeciei quilibet humores expoſiti ſint; quandò ſeorſim, & quandò cum aliis juncti in corruptelam abeunt, imò quænam illius corruptionis indoles. Talem corruptionem noſcendi & curandi modus ut à Chirurgis diſcatur, nemo poſtulabit, neque ut ſciant methodum & remedia, quæ nimiam humorum ſtagnationem, & importunum affluxum diſſipent, nimiam ſenſationem mitigent, nimiam nervorum irritationem demulceant, ut energiam vitalem excitent. Morbus debellari nequit, niſi ejus cauſa tollatur; unicuique affectui propria natura eſt. Quantâ arte opus eſt ad invenienda convenientia remedia, quibus læſæ particulæ reſtitui poſſint? Quis nullo habito reſpectu ad cauſas procatharcticas, ſphacelum, *verbi gratiâ*, ex paralyſi temerario auſu externis remediis curare aggredietur? Quis curationis hujus felicem eventum ſibi promittet, niſi diverſarum ſpecierum paralyſeos, & illius Gangrænæ cauſas antecedentes apprimè calleat, ut malum in fonte præſcindatur? Non idem medicamentum interiùs & exteriùs omnibus Gangrænis ſubvenit: Si, *verbi gratiâ*, ſpirituum animalium influxus à ſpaſmo, & convulſione pervertitur, anodynis cicurabitur, & contrà qui à narcoticis proſtrati, volatilibus erigendi ſunt. Cùm à frigore intenſo Gangræna generetur, Pharmaca calidiora, & particulis activis prædita valdè congruunt. Hæc autem in Gangrænis illorum, quorum ſanguini calido, multùm ſalis & ſulphuris digeſti, ſerique perexiguum eſt, nimiâ doſi propinata maximè officiunt. In effœto corpore ſenili,

vel mali habitûs, vel libidinibus consumpto, membra marcescunt; & à spiritibus non satis irradiantibus, partes ad necrosim tendunt. Hujusmodi tùm internis, cum externis roborandi sunt. Robusti, sanguinei, plethorici, qui Gangræna, & sideratione malignâ laborant missione sanguinis, cardiacis, & catharticis juvantur, externis non neglectis. Scorbuto affectis, antiscorbutica intùs & extùs simul exhibeantur. In Gangræna à morsu canis rabiosi, ferarum, aut aliorum animalium, aut serpentium, item ab Arsenici, Aconiti, & Napelli, & aliorum venenorum haustu, alexiteria singulis convenientia præcipienda sunt. Oleum scorpionis internè exhibitum, vel etiam ictibus animalis impositum subvenit, pari ferè modo quo membrum frigore torpens nive sanatur. Verùm si Gangræna ex illis toxicis jàm intùs serpit, exteriora nihil aut parùm proderint, nisi Chirurgiæ arte prophylacticâ succurratur; tanta est Medicinæ & Artis Chirurgicæ mutua conspiratio.

* *Libr. de Sterilit. cap.* 18. §.1.

V.



VARIA enchirisi Medicus ex infimis summa efficit, ex veneno medicamentum; ex amaro, acido, & corrosivo dulce. Ipsius arte omnis venenositas infringitur, extinguitur, & expellitur. Sic Gangræna exteriùs suscepta tollitur oleo antimonii dulcificato, nec non cancer arsenico cicurato. Ad hæc pharmaca ritè paranda insigni industriâ & arte multiplici opus est. Medicamina Sapientibus priscis Deorum manus appellata fuere, quia cautissimè adhibenda; in omni morbo ad naturam, & constitutionem ægri, ad temperiem & motum spirituum animalium, & sanguinis præcipuè respiciendum. Medicamentorum proprietas, agendi modus, natura indicantium, & contraindicantium, omnium circumstantiarum ratio, primarum & ultimarum viarum constitutio, mutationes temporum quæ pariunt morbos, nota & explorata habenda sunt; causæ & horæ crisium prævidendæ. Maximè differunt vulnera recentia cæsim, punctim, vel alio modo inflicta, à vetustis quæ internè ceperunt originem. Externa oleorum, emplastrorum, unguentorum, & balsamorum applicatio supervacanea, nisi fons internus obturetur, unde humores ad exteriora fluunt: quo obturato, cessabit affluxus, & malum; vel solâ diætâ facilè curari poterit. Sed Gangrænæ intùs susceptæ causas & noxam eliminare hoc opus, hic labor. Heic secretorii, & excretorii naturæ motus suscitandi sunt; Medicus illius Minister hosce motus, quovis modo imitari, & omni prudentiâ adjuvare studeat. Huic scopo inserviunt, quæ à salis & sulphuris prosapiâ oriuntur, ritè depurata, & ad statum volatilem redacta, quæ auræ vitali aptè respondeant. Species singulas Gangrænæ prævidere, in quibus hæc vel illa salia ægro salutem afferre, nec ipsi nocere poterunt; serum salsum, acre corrosivum malè moratum, ad indolem benignam, suavem & mitem reducere. Verbo, nihil intactum relinquere, quo infirmus ad valetudinem reducatur; hæc omnia sine Physicis institutis, ac documentis percipi nequeunt. Itaque si, *verbi gratiâ*, ex nimiâ inflammatione, vel ob æstus immodicos, vel ob nimia frigora, vel quia corpus senile, vel mali habitûs est, Gangræna aut sideratio occupat, si vitium intùs sit in humoribus, à solo scalpello, solisve remediis externis nulla salus speranda. Antequàm incidat Chirurgus, requisita inter morbum & medicamentum proportio ponderanda. Artem quamdam esse sciat, benè utendi principiis Physico-mechanicis, ad sanitatem restituendam. Sciat sese Physicis, Mathematicis, Mechanicis, & Chymicis omninò destitutum esse scientiis. Lex jure merito Chirurgos vetat praxim medicam. Proindè ex morborum curatione nullas possunt observationes genuinas ac veras elicere; cùm tota Chirurgia consistat tantùm in manuum operatione, scilicet continui divisione, divisi unione, extractione alieni, & remediorum exteriorum applicatione. Non satis est bonæ disciplinæ spernaces venam secare, unguenta, cataplasmata, emplastra admovere, si eorum vires ignorent. * Cavendum ne phlegmonem loco œdematis, Gangrænam pro simplici inflammatione, luis venereæ ulcus pro scorbuto, virulentum pro sordido, ac putri suscipiant, multorum membrorum actiones lædant, plures reddant insanabiles, miris modis & impunè discrucient, mutilent, & enecent. Consilium igitur sapientis Medici expetant; Chirurgia medica suo juri restituatur. Ubiquè meminerint Chirurgorum officium esse, ut in

ejusmodi læsionibus; quarum salutaris cura remediis potiùs, quàm instrumentis impetranda, Medici consilium tempestivè exquirant.

* *Junckerus.*

Non ergo, cuique Gangrenæ solius Chirurgiæ auxilium.

Domini Doctores disputaturi.

M. Petrus Maloet, Regis Consiliarius, nec-non Domûs Regiæ Invalidorum Ducum & militum Medicus ordinarius, & è Regiâ Scientiarum Academiâ.

M. Ludovicus-Simon Emmerez.

M. Guillelmus de Magny, Chirurgiæ Gallicæ Professor designatus.

M. Antonius Jacques.

M. Claudius de la Vigne de Frecheville, Chirurgiæ Professor.

M. Joannes-Damianus Chevalier, rei herbariæ Professor.

M. Joannes Boudin, Antiquus Facultatis Decanus, Regi à sanctioribus Consiliis, Delphini & Delphinæ, dum viverent, Medicus Primarius, & Medicus Regis perpetuò ordinarius, & Reginæ Medicus Primarius.

M. Guido-Erasmus Emmerez, Antiquus Facultatis Decanus.

M. Franciscus Afforty, Antiquus Facultatis Decanus.

Proponebat, Parisiis, BERNARDUS DE JUSSIEU, Lugdunæus, Baccalaureus Medicus, in Horto Regio Botanices Prodemonstrator, & è Regiâ Scientiarum Academiâ, A.R.S.H. 1726. à sextâ ad meridiem.

Typis PH. N. LOTTIN, *Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi.*